



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 1. Quid est Matrimonium?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



promissio rei illicitæ faciendæ ; nempe ineundi Matrimonium, & executio est peccatum.

*Not.* Ad dissolvenda Sponsalia requiritur auctoritas judicis Ecclesiastici in his casibus. 1. Si moraliter non constet de sufficientia vel veritate causæ dissolvendi : aliàs enim dissolvens se committeret probabili injustitiæ periculo ; imò est injustitia in dubio privare alterum jure per illa acquisito. 2. Si Sponsalia sint publica, causa autem dissolvendi occulta, ex c. 7. *de desponsat.* nam debitus ordo, & evitatio scandali id exigunt.

## CAPUT II.

*De Natura, & proprietatibus Matrimonii.*

*Q. I. Quid est Matrimonium?*

*Resp.* Matrimonium generatim, prout præscindit à ratione Sacramenti, est Maris & Fæminæ conjunctio legitima individuum vitæ consuetudinem retinens, ex c. 11. *de presumpt.* sive est contractus legitimus, quo vir & fæmina sibi mutuò tradunt & acceptant potestatem corporum in ordine ad actum generationis, & se obligant ad se mutuò juvandum, & perpetuò cohabitandum. Sumptum pro Sacramento, est conjunctio supra dicta gratiæ significativa & collativa : sive est contractus modo dictus gratiæ significativus & collativus.

Sumitur etiam vel pro ipso contractu, quo legitimi personæ corporum dominium, ad usum conjugalem, mutuò tradunt & acceptant,



ptant, & se se mutuo obligant ad vitæ societa-  
tem, & ad alia iura debita & obsequia: vel  
pro statu, ac vinculo permanente inter virum  
& fæminam, quod oritur ex tali contractu.

Matrimonium dividitur in legitimum, ra-  
tum & consummatum. Legitimum, est illud,  
quod legitimo consensu inter personas non  
impeditas contractum est: quale etiam nunc  
est inter non Baptizatos. Unde ut tale non est  
Sacramentum, aut saltem præscindit à ratione  
Sacramenti.

Ratum dicitur, quod est & legitimum &  
Sacramentum, sed necdum copulâ carnali  
consummatum: tale est inter solos Baptiza-  
tos. Consummatum est illud, quod accedente  
copulâ carnali extrinsecè completur.

*Q. 2. Quenam est materia, & forma & Mini-  
ster hujus Sacramenti?*

*Resp.* Circa hoc dissentiunt Theologi. Ali-  
qui docent materiam esse consensum contra-  
hentium exterius expressum; formam verò  
verba quæ profert Sacerdos, qui proinde ejus  
minister est.

Alii longè communiùs contendunt ipsos  
contrahentes ponere materiam & formam,  
ideóque esse ejus ministros. Sed in assignan-  
da illa materia & forma inter se dissident. Se-  
cundùm multos materia est mutua corporum  
traditio, forma verò mutua corporum acce-  
ptatio, facta signo sensibili consensum inter-  
num exprimente. Secundùm alios materia  
est